

14/57 ✓
I. N. J.
DE
MONOCEROTE,

Permissu
**INCLYTÆ FACULTATIS
PHILOSOPHICÆ,**

Publicè disputabit

PRÆSES

**M. FRANCISC, CHRISTOPH. BENENGS/
Lunæburg. Saxo,**

RESPONDENTE

JOH. HENRICO HOMILIO,

Hermisdorpio-Misnico, SS. Theol. Stud.
& Alumno Elect.

Ad diem 15. Junii M. DC. LXVII.

H. L. Q. S.

L I P S I Æ,


Literis Bauerianis.

1444.

70-100000

100-443887-100





J. A.
DISSERTATIO ZOOLOGICA
De
MONOCEROTE.

Praefatio.

DE *Zoologia laudibus* dicere supervacaneum esse arbitramur, cum tot & tanta ejus passim apud alios extent encomia, & citra horum praetconium ipsa met nativô suae utilitatis splendore commendabilem se maximè reddat. Neque enim hæc laudantium lenocinia requirit, cujus utilitas atq; dignitas omnibus cognita atq; perspecta. Nobis potius animus est, reipsâ declarare, curæ cordiq; hanc nobis semper extitisse, maximoperè propterea, quod radiis utilitatis suae Theologiam quoq; illustrare soleat. Eapropter cum exercitium aliquod disputatorium proponere decretum à nobis esset, ex eadem thema quoddam desumere placuit. Cum verò in eadem latissimus dicendorum campus sese offerat, impraesentiarum MONOCEROTEM elegimus, cujus naturam publico Eruditorum examini ventilandam carptim proponemus, acturi I. de *Existencia*, II. de *Essentia* hujus animalis. DEUS ex alto nostris benedicat conatibus!

CAPUT. I.

DE EXISTENTIA MONOCEROTIS.

§. 1.

Dici hujusmodi animal, quod MONOCEROS appelletur, sunt qui affirmant, sunt qui negant.

§. 2. A parte affirmantium stant Plinius, Solinus, Philostratus, Elianus l. 4. de animal, c. 52, l. 16. c. 65, Isidorus l. 12.

A 2

Etymol.

Erymol. c. 2. M. Paulus Venetus l. 3. c. 15. Andreas Thevetus, Garcias, Duthirius, Langius, Andreas Baccius, Gesnerus, Aldrovandus, Eusebius Nierembegius, aliq; quos magnò numerò recenset Caspar Aries Francus in Elysio jucundarum questionum campo, quest. 67. f. 529. Quibus & nos im-

præsentiarum pollicem erigimus, moti iis, quæ sequuntur, rationibus, §. 3. Et (1.) quidem quòd expressa hujus animalis mentio fiat in sacris literis, locis quamplurimis v. g. Num. 22, 23, 24, 8. Deut. 33, 17. Ps. 22, 22. Es. 34, 7. in quibus non tantùm hujus feræ meminit sacer codex, sed & eam ab adjunctis variis, imprimis robore, describit. Quod si verò fabulosum esset hoc animal, non toties S. pagina illud nominasset.

§. 4. Excipi equidem hìc posset, per τὸ ΜΝ, quod ll. cc. in textu authentico habetur, non Monocerotem, sed aliam, quamcunq; velis, bestiam intelligi, id quod & alii objicere minimè erubuerunt, de quibus vi leatur Ursinus l. 4. Miscellan. c. 2. n. 12. Constans tamen τὸν LXX. est interpretatio, quæ ubiq; Monocerotem substituit, & sic passim explicatur in Commentariis Rabinorum, ut & nostrorum Patrum, ut de illo dubitandi causa nobis non sit relicta.

§. 5. Nec dici debet (quod ad probationem nostram nonnulli hìc regerere videntur) sacram scripturam se locis adductis hominum opinionibus accomodasse, illudq; animal esse tantùm Symbolicum, h. e. ad comparationes tùm ad ipsum CHRISTUM, tùm ad pios, tùm ad impios applicatas, non quòd in rerum naturâ verè existeret. Etenim illarum comparationũ gratia sacrâ scripturam fabulosa proposuisse, quis dicet? Ut taceamus ea, quibus assimilantur, in notissimorum aliorum animalium proprietatibus inveniri facillimò negotiò potuisse, ut necessarium non habuerit S. codex ad easdem exprimendas fabulis uti.

§. 6. Præter Scripturæ sacræ testimonia, quæ satis esse debebant, existentiam Monocerotis probamus (2) quòd scriptores & viri fide dignissimi se hoc animal vidisse affirmant. Sic Ludovicus Bartema, aliter Romanus dictus. (quem Scaliger in historicis relationibus virum optimum appellat) ex se se testatur, se duos vidisse in Arabiâ, quos Mechæ Sultano Æthiopum Rex tanquam rem rarissimam & pretiosissimam dono miserat. Quæ Bartemani verba etiam approbat Sebast. Münst. in Cosmograph. L. XXV. c. de Mecha felicitis Arabiæ urbe. Ita se unum vidisse in Tartariâ M. Paulus Venetus l. c. affirmat. Et in eâ novi orbis parte, quæ Indiæ contigua est, Monocerotem visum esse tradit Cadamastus. Videatur

tur *Aries l. c. f. 531. n. 10.* Ita *7. Caesar Scaliger* in suis exercitationibus contra Cardanum Exerc. 205. testimonium amici sui cujusdam recenset, qui Unicornem vidit.

§. 7. *Negantes* existentiam hujus animalis *ad duplicem classem* referri possunt. Ad priorem classem referimus omnes illos, qui hujusmodi animal ne unquam quidem in terris extitisse affirmant.

§. 8. Idq; *vel explicitè, vel implicitè.*

§. 9. *Explicitè* negant ex vetustioribus *D. Ambrosius, Apollonius Philosophus, Andreas Marinus* libellò de Monocerote, Italicè scriptò in quo plurimis ostendere conatus est, totam de Monocerote historiam inanem esse & fictitiam. Cui tamen contradixit *Baccius* aliò libellò itidem Italicò, ut est apud *Schottum Phys. Cur. l. 8. c. 58. §. III. p. 1073.* Ex recentioribus *Pareus l. 20. c. 39. Sanctorius l. 13. vitandorum errorum c. 4. Guido Patinus*, medicus Parisiensis, in annotationibus ad librum de peste *Nicolas Elloim* anno 1649. editis, ubi in rem suam alios quamplures citat, ut observavit *Caspar Aries l. c. f. 529.*

§. 10. *Implicitè* negant illi, qui historiam animalium literis consignatam nobis reliquerunt, unicornis verò historiam planè omiserunt, ceu *Guilielmus Vanden Bosch* cum aliis fecit.

§. 11. *Posteriori Classi* adscribimus eos, qui licet hoc animal à DEO unà cum cæteris creatum existiment, illi tamen speciem periisse dicunt, & à naturâ defecisse, ossaq; aut cornua, quæ ostenduntur, si genuina sint, à terra erui, ubi aquarum diluvio submersa & abscondita fuerunt, fabulantur. Quorum fabulam adaugēt, quòd subinde sub arenâ in quibusdam Indiæ partibus, aut sub aquâ, quæ sylvas inundavit, inveniri dicantur cornua Monocerotis non dissimilia.

§. 12. Quæ sententia priore multò est absurdior, & à ratione planè aliena. Nulla quippe Species animalium, plantarum & aliarum rerum, quas Creator Summus ab initio condidit, periit, aut perire potuit, cùm res à se conditas conservare, si non quoad *individua*, tamen quoad *speciem* promiserit JEHOVA. Neq; mundus adhuc perfectus dici posset, stante hâc opinione. Si enim extitisset, non autem amplius extaret Monoceros, à mundo aliquid sublatum esset, cujus defectu à primâ perfectione aliquid defecisset. Id quod Aristoteli vel ex naturali Philosophiæ lumine probè fuit cognitū, quâdo naturam quamcunq; in speciebus nunquam deficere asseruit. Neq; causam hi ullam asserre poterunt,

quamobrem DEUS cœtera animalia beneficiô arcæ Noachi servans, Menocerotem perire & deficere voluisset.

§. 13. Quod verò interdum â profundis terræ cavernis ossa & cornua erui possint, non negamus, (sic enim & hoc quotidie in quibusdam Bohemiæ, Thuringiæ ac Misniæ locis) illa. verò pro Monocerotis venditari impostorum invenit avaritia, qui ut peregrinam & inæstimabilis pretii supellectilem se habere fingant, quò carius vendant, & signaros circumveniant prædictô modò obtinuisse se ea magnô commentô plebeculæ inculcant. Cùm tamen hæc mineralia potius sint, quàm animalis quadrupedis partes, nec tantam duritiem ac soliditatem habeant, quale unicornu genuinum, ut docet *Sperl. l. c. axiom. 3. p. 190. seq.* Videatur *Aries l. c. f. 532. n. 12, 13. 14. 15. & f. 533. n. 16.*

§. 14. Priori classi se associat *Gisb. Voët. T. 1. disp. select. disp. de Creatione Part. VIII. p. 728. seqq.* quandò utrum Monoceros sit, difficultatem esse non modò asserit, sed & rationes pro negativâ sententiâ nobis proponat, quas extremis, quod ajunt, labris degustabimus.

§. 15. Et l. c. quid. p. 729. proponit (1) quòd septem sint animalium genera unô cornu munita. Quod probat ex *Dalecamp. ad Plinii l. 8. H. N. c. 21. & l. 11. c. 37. eaq;* esse gressilia, aquatilia, volatilia, reptilia. Resp. Tantum abest ut hoc argumentum existentiam Monocerotis impugnet, ut potiùs pro eâdem stabiliendâ pugnet. Si enim tot & tam varia sunt unicornia animalia, & esse possunt, cur non & hujusmodi terrestre dare possit?

§. 16. (2.) Quia *Deut. 33, 17. Num. 23, 22, 24. 8.* Vulgatus Interpres τὸ ΔΝ? reddidit Rhinoceros. Resp. (1) autoritas Versionis Vulgatæ tanta nobis non est, ut propterea omnem Monoceroti denegemus existentiam. Quia invertendo potuit errare, & erravit quoq; uti in aliis locis, ita & ll. cc. vide de erroribus Vulgatæ *Waltheri Harm. Bibl. in præf. Glassium in Phil. S. Tr. 1. L. 1. Danb. in Hodosoph. p. 30. Hackspan. in Not. Philol. p. 11. p. 41. & alios quàm plures.* (2) *Pf. 22, 22.* aliisq; locis etiam Vulgata reddidit per Unicornem, E. si vis aliqua huic argumenro inesset, ex his locis æquè fortiter pro Monocerotis existentiam argumentari possemus.

§. 17. (3) Quia descriptio τὸ ΔΝ? Rhinoceroti etiam accommodari possit. Resp. Negat hoc *Bartholinus Tract. de Unicornu c. 24.* In scripturis enim Monoceroti tribuitur ferocia summa, quam *Bartholinus* Rhinoceroti denegat. Alia discrimina brevitatis ergò scientes volentes hîc præterimus, & ad c. 11. reservamus. Videatur interim *Frantzius in H. A. part. I. c. 11.*

§. 18. Idem *Voëtius* l. c. p. 730. de novo quasi adversus Monocerotis existentiam aciem instruit, objiciendo (1) Historiam à *Plinio & Aliano* de Monocerote ex *Ctesia* descriptam videri. Hunc verò fabularum esse architectum, siquidem ejus fidem *Aristoteli* jam l. 8. *H. A. c. 18.* fuisse dubiam. Resp. Nostrum non videri Voëtii videri tollit.

§. 19. (2) Quia nemo ex veteribus scribit, se eum vidisse. Resp. Falsum hoc esse ex §. 6. patet.

§. 20. (3) Quia circa descriptionem ejusdem autores variant. Resp. Licet variant autores aliquantulum, omnes tamen in hoc conveniunt, ut minimè fabulosum judicent hoc animal, sed reverà tale dari in naturā defendant. Neq; enim hæc discrepantia æstimari debet ita, ut propterea imaginarium esse dicamus. Nam cum exotica sit hæc bestia & peregrina, ut vix unus aut alter se ocularem testem exhibeat, mirum non est alios ex antiquis picturis, alios ex traditionibus ad libitum addidisse & mutasse, ut monstrum potius depingere, quàm verum animal describere videantur. Sed hæc de existentia hujus animalis dicta sunt.

CAPIUT. II.

DE MONOCEROTIS ESSENTIA.

§. 1.

Cum Definitio sit λόγος τῆς οὐσίας, Definitio Monocerotis omnium optimè essentiam ejusdem nobis proponet.

§. 2. Definimus autem Monocerotem, quod sit brutum quadrupes, terrestre, atrox, terribile, ferox, velox, robustum, gramine herbis & frugibus vescens, diram edens, vocem, ac durissimum in fronte gerens cornu.

§. 3. Habes hinc Definitum, & Definitionem ipsam.

§. 4. Definitum est Monoceros. Quod nativitate suâ Græcum, Latina autem civitate donatum est, estq; idem ac animal unicornè seu unius cornu. Κέρας n. Græcis est cornu, ab Ebr. קרן juxta Beem, de Orig. L. L. p. 371.

§. 5. Licet autem multa sint animalia unicornia, sicuti *Mercurialis T. 1. Consult. 94.* quatuor dicit esse, quæ unicum cornu in fronte gerunt, Monocerotem, Rhinocerotem, Asinum Indicum & Orygem; (cum quò tamen h. l. consentire nequaquam possumus, ut ex infra adducendis patescet) Quibus tria alia adhuc addit *Alianus*, Bovem Indicum l. 8. c. 21. Equum Indicum, l. 4. c. 12. Bisontem l. 4. c. 44. Præter quæ etiam in insulam Zeilan Vaccas unò cornu tantum insignitas narrat *Bartemannus* c. 2. l. 2. navigat. suæ, & in Gronlandia maritima animalia, quæ unicum cornu ge-

rant, reperiri *Primerofius* l. 4. de erroribus *Vulgi* c. 38. affirmat. Quibus omnibus vocabulum hoc ex mente citatorum autorum conveniret. In laxiori tamen & etymologicô hoc fieret significatu, non *strictiori* & *specificô*, quatenus pro peculiari quodam animali accipitur, quod reliquis omnibus dignitate antecellit, & Græcis Monoceros, Latinis unicornu propriè dicitur. Vide sis Casp. Schott. *Phys. Cur.* l. 8. c. 18. & Sperl. *Zool.* Lib. 3. part. Spec. c. 6. p. m. 117.

§. 6. Ebræis dicitur *רָם* & *רָם* (â Rad. *רָם* altus, sublimis, elevatus fuit) ab altitudine, vel quod cornu altum habeat in fronte, vel quod saltu fiat sublime, quod ubiq; LXX. reddiderunt per *μονοκέρωτα*. Judæis Germanicè dicitur *Wieselthier* â colore mustellinô, testibus *Schindl.* in *Lexico Pentagl. Martiniô* in *Philol. & Barthol. Scheræo* in *Itinerario* in *Pfalt.* Dav. Hebr. Rad. 991. n. 1. 2. p. 780.

§. 7. *Definitio* constat *Genere & Differentia*.

§. 8. *Genus* est *brutum quadrupes*. Et *brutum* quidem remotum, *quadrupes* autem *terrestre* proximum.

§. 9. *Brutum* dicitur, quia est *animal irrationale*, quod cum bruto reciprocatur. Quam essentiam genericam remotiorem, cum omnibus animalibus [exceptô homine] sive volatilia, sive natatilia, sive gressilia, sive reptilia sint, communem habet.

§. 10. Neq; enim hîc nobis placet *Solinus*, quando *Polyh.* c. 65. Monocerotem atrocissimum monstrum esse, asserit, ut de illo idem testatur *Schott. Phys. Cur.* l. 8. c. 58. p. 107. Si enim monstrum esset, inter species brutorum ordinariô modô referri non posset. Nullum enim monstrum â naturâ ipsâ ex intentione propagatur, cum sit effectus naturalis â re, & â & solitâ secundum speciem dispositione degenerans.

§. 11. *Quadrupes* dicitur, quia non tantum est brutum gressile, caput, collum, dorsum, ventrem habens, sed & quatuor incedit pedibus. Quod ipsum equidem ad naturam genericam Monocerotis pertinet, cum & illud cum multis aliis bestiis v. g. leone, elephante, camelo, tigride, asino, bove &c. commune habeat, sed tamen proximius est prior. Hoc enim non omnibus in universum competit, quæ in numerum brutorum referri possunt. *Terrestre* dicitur, ut distinguatur ab illis animalibus unicornibus, quæ nonnullis in aquâ vivere dicuntur. Cum quibus nobis hîc locô res non est.

§. 12. Ad *Differentiam* referenda sunt omnia illa, quæ jam in definitione

tionem subsequuntur, utpote quando Monoceros dicitur (1) *atrox & terribile*, scilicet propter *staturam & externam* partium corporis conformationem. Magnitudine etenim ad confirmatæ ætatis equum accedit, capite verò cervo, pedibus elephanti, cauda apro, reliquò corpore equo similis est. Linguam habet spinosam, qualis & Orygi est, ut observat *M. Paulus Venetus* apud *Nieremb. l. 7. H. N. c. 3. f. 112*, crura brevia, ut est apud eundem *Nieremb. l. c. 6. 7. f. 113*. caudam setosam ibid. *c. 11. f. 114*. & apud *Plin. l. 8. H. N. c. 21*. uti in hâc descriptione optimi consentiunt autores. Conferantur *Scal. Exerc. 205, contra Card. & Sperl. l. c. qu. 2. & axiom. 1. p. 189*.

§. 13. Dicitur (2) *ferox*. Est enim animal ferocissimum ut nullis vinculis, nullis artibus, nullis beneficiis cicurari possit. Quare vivum, integræ & perfectæ ætatis sc. capi non posse *Plin. l. 8. c. 21*. affirmat. Et licet tempore coitis mansuescat, ut feritatem quasi deprimere & deponere videatur, elapsô tamen hóc tempore vel sui generis fœminas & mares infestat, vitamq; agit solitariam. Confer *Jo. Euseb. Nieremb. H. N. l. 7. c. 18. f. 123*.

§. 14. Quanquam enim *Vartamannus* ferocem esse belluam neget exinde, quòd duos Sultano ex Æthiopia missos Mechæ ad Mahumetis sepulchrum cancellis obseptos, minimè feroces viderit; Illud tamen temerè non est asserendum, cum ipsa sacra pagina ferocitatem ipsi adscribat. Conf. *Job. 39. 8, 10. & c.* Quod autem illi, quos vidit *Vartamannus* feroces visi non fuerint, causa hæc esse potuit, quod â primâ ætate, ut pulli adhuc capti, hominibus fuerint assueti. Sicuti id etiam apud alia ferocissima animalia effici posse, experientia quotidiana satis abundè testatur.

§. 15. Notabile tamen est, quod *Ælianus l. c.* scribit, ad alias bestias ad se accedentes mansuescere hoc animal, cum gregalibus verò suis pugnare. Neq; solùm mares inter se naturali quâdam contentione diffidere, sed etiam contra fœminas certare, pugnamq; ad mortem usq; validè continuare.

§. 16. Sunt quidem nonnulli ex *Patribus*, ut *Gregorius, Isidorus*, qui per *Virginem* Monocerotem cicurari tradunt, quando scil. ad eam accedens juxta eam in somnum resolvitur, & postmodum vel capitur, vel ligatur, donec cornu ejus reseccetur. Quibus etiam adstipulantur *Albertus Magnus l. 22. de animalibus & Tzetzes Chiliad 5. c. 8. Carm. 7* quam rationem capiendi Monocerotem hanc esse ajunt, ut juvenem fortem ac

validum, habitu virginis vestitum aromatibus cumulent, & in vicino aliquo loco constituent, unde odor cum aëre perveniat in nares bestiae, interim ergo dum ipsi venatores occultantur, accedere bestiam ad juvenem, hunc verò odoratis & amplis manicis oculos ipsius tegere ut venatoribus liceat occurrere. Videatur *Franzius in H. A. l. c. Nieremb. l. 7. c. 60. p. 126.* Hoc tamen cum *Gesnero & Baccio* explodit *Corn. à Lap. in Comment. ad Num. 23. teste Voëriol. l. suprà c. p. 731.* Evolvantur hanc in rem *Marcus Polus l. 3. c. 15. & Schottus l. c. p. 1073.*

§ 17. Dicitur (3) *Velox*. Siquidem tantâ pedum celeritate valet, ut à quolibet ad animalia, quibus velocissimus cursus est, qualia sunt cervi, tauri sylvestres, ibices, capreae, canes, pantherae & lepores, referantur. Vid. *Sperl. l. c. quaest. c. 8. p. 189. Franz. l. c. & Nieremb. H. N. l. 7. c. 40. f. 119.*

§ 18. Dicitur (4) *robustum*. Robore namq; corporis Monoceros prope modum inexpugnabilis, quamobrem cum leone ipsi est diffidium, & cū eo læpissimè & quo Marte pugnat. Vide sis *Nieremb. l. 7. H. N. c. 53. f. 124.*

§ 19. (5) *Gramine, herbis & frugibus* vescitur, sicuti enim reliqua bruta pleraq; à vegetantibus suum petunt cibum, ita & hoc iisdem contentum vivit *Sperl. l. c. quaest. 1.*

§ 20. (6) *Vocem obscenam & diram Monoceroti* cū catis esse communem, & pro vario affectu variam *Nieremb. l. 8. c. 44. f. 120.* autor est.

§ 21. (7) *Durissimum in fronte gerit cornu*. Nimirum unicum è media fronte protendit cornu spinis contortum ad longitudinem pedum quatuor, tam validum, ut quicquid impetat, pertoret.

§ 22. Quò ipsò *Monocerotem* cum *Rhinocerote* malè à quibusdam confundi patet, inter quos etiam *Scal. l. c.* refert *Cardanum*, quem propterea miratur etià *Aldrovandus*, ipse autem *Scaliger* reprehendit. Quanquā *Schottus l. 8. Phys. Cur. c. 58. §. 11. p. 1071.* malè id à *Scal.* factum esse tradat, indeò quod ipse *Cardanus l. 10.* Subtilitatū præmisisset: *Monocerotem* longè aliud esse animal à *Rhinocerote*, ac solâ nominis similitudine cum illo convenire. Id quod ultimū tamen nos minimè admittimus sive illud *Cardanus*, sive etiam *Schottus* affirmer, *Monocerotem* sc. solâ nominis similitudine cum illo convenire. Neq; enim nominis similitudo hîc adest. Cum & tyronibus Græcæ linguæ sit exploratissimum, *Rhinocerotem* *Naricornem* (sc. cornu in nare habentem) *Monocerotem* autem *Unicornem* (quocunq; in loco, præprimis tamen in cornū gerentem) denotare.

§ 23. Quicquid tamen de *Cardano* sit, certissimum est, quamplurimos
Mono-

Monocerotem sub Rhinocerotis nomine depinxisse, quorū mentionem facit *Schott. l. c. p. 1074.* & *Aries l. c. f. 528.* Inq; hōc ab illis graviter esse erratū.

§. 24. Rhinocerotem enim (1) Europa plus quā semel vidit, ut de Romā testatur *Rhodiginus l. 16. antiq. le. c. 5.* *Plinius & Solinus Polyh. c. 43.* imò Anno 1515. tota Lusitania Rhinocerotem vidit Emanueli Regi dono allatum, ut annotavit *Amatus in Diosc. l. 2. Enarrat. § 2.* Monoceros autem, ut mox audiemus, animal est montes Indicos inhabitans. (2) Rhinoceros animal bicornē est, ut probat *Pausanias l. 9.* & alii, unum in naso, alterum supra nasum habens. (quanquam *Ger. Jo. Vossius l. 3. de Idol. c. 16. p. 1029.* unicum in nare ipsi tribuit) Monoceros autem unicum habet. (3) Monoceros cornu in mediā fronte gerit, & ut *Ælian. l. 16. H. Animal. c. 20.* loquitur, inter supercilia: Rhinoceroti verò cornu ē naribus prominet. Unde & nomen habet, *Nieremb. l. 7. H. N. c. 20. f. 110.* (4) Ipse, formā, magnitudine ā Monocero prorsus differt, ut ex *Schott. Phys. Cur. l. 8. c. 60. p. 1083.* *Strabone l. 16.* *Diod. Sic. l. 4.* *Oppiano l. 2. de venatione.* *Pausania Eliac. 1. p. 159.* & in *Bæoticis p. 297.* *Pinedā in Job. 39.* *Politiano Misc. c. 65.* *Camerario Hor. succiss. c. 25.* aliisq; constat. (5) Quoniam omnes Rhinocerotem esse affirmant, etiam illi, qui Monocerotis existentiam negānt hactenus.

§. 25. Ex quibus omnibus differre inter se hęc duo animalia cornigera, liquidò apparet. Nos antequam hīc abeamus, paulò adhūc Monocerotis cornu contemplantur.

§. 26. Cornu hoc colore nigrò *Ælianus, Plinius,* splendore mirificò *Solinus,* longitudine duorum cubitorum *Plinius,* pedum quatuor *Solinus,* cubitorum trium *Bartemannus* faciunt. *Ælian. l. 16. de Animal. c. 20.* nigrū esse, versuras quasdam naturales habere, atq; in acutissimum mucronē definere dicit.

§. 27. Alii Monocerotis cornu solidum esse scribunt, alii concavum, pedem unum, ubi capiti committitur. Ad *Nieremb. l. 7. H. N. c. 2. f. 110.*

§. 28. Laudari solet hōc cornu plurimum adversus venena, & ad partes nobiles exhilarandas & roborandas. Proin tempore pestis & morborum contagiosorum ejus usus maximè commendatur. Eapropter tanquam thesaurus ditissimus sapientius servatur. Et in templo B. Dionysii juxta Parisios *Rhenodæus* (ut est apud *Sperl. l. 2. axiom. 2. p. 190.*) cornu hujusmodi longissimum & hominis proceritatem æquans tanquam thesaurum ditissimum servari affirmat, & multa tegmina singulos Pharmacopolas Parisienses in officinis suis servare, ut, quoties usus postulet, hoc insigni præsidio juventur. Id quod & de aliis testatur *Aries l. c. f. 534. n. 21.*

§. 29. Quibus contradicit Andreas Marinus libellò de Monocerotè Italicè scripto, fabulas ex Arabum scholâ introductas esse contendens, ex quâ auri & gemmarum quoq; usus in medicinam dimanavit, aliaq; peregrina & exotica, quorum occultis virtutibus omne morborum genus sanari pollicentur, quæ tamen (ut ipse loquitur) nullius ad hanc rem utilitatis esse ipsi existimant, & ab ægritudinum curationibus ad crumenas eliminandas, in quibus tota illorum alexiteria vis probatur, melius quàm intra corpus assumpta.

§. 30. Cui & alii quoq; adstipulantur, qui sententiam suam ex eo magis stabilire conantur, quod nec Hippocrates, nec Galenus, nec veterum scriptorum medicorum auctor aliquis de virtute, quæ de istius animalis cornu tantoperè prædicatur, aliquid scripserit, vel meminerit. Videatur Voss. l. 3. de Orig. & progress. Idol. c. 68. p. 1088.

§. 31. Nostrum non est omnem huic cornu denegare impræsentiarum efficaciam, præprimis si *genuina* à non genuinis & fictitiis probè discernantur. Relinquimus autem illa medicina peritis componenda. Qui plura cupit, adeat Calp. Ariem l. c. qu. 67. f. 532. seqq.

§. 32. Restat (8) de *Subiecto loci*, quò hoc animal delectatur aliquid adjiciamus.

§. 33. Est autem *illud* vel *generalius* vel *specialius*.

§. 34. *Generalius* sunt desertissimæ regiones, quas persequitur & solitarium pererrat, ut Ælian. l. 8. c. 20. auctor est.

§. 35. *Specialius* sunt montes altissimi Indiæ, quos inhabitat. Peregrina itaq; nobis hæc est bestia, ac toto orbe à nobis divisa, nec unquam (si Sperlingio fides habenda l. c. p. 183.) in Europam adducta. Eapropter pleriq; hujus bestiaë descriptors auriri potiùs, quàm oculati testes sunt.

§. 36. Testantur hoc historici in universum. *Ælianus* l. 16. de *Animal.* c. 20. loquens de feris montium Indiæ interiorum, ait ex historicorum & sapientum Indorum testimonio, in iis esse Monocerotem. Idem *Nieremb.* l. 5. *H.N.* c. 28 f. 92.

§. 37. Sunt tamen, qui alibi generari etiam affirmant. Sic *M. Paulus Venetus* l. 3. c. 15. in regno Lambri inveniri tradit. *Paulus Joÿus* loquens de regno Gogiano Africae, & ortu Nili affirmat in eo Monocerotem esse. Ita Marcus Polus (referente *Schorro Phys. Cur.* l. 8. c. 58. §. 2. p. 1072.) variis in locis Monocerotem reperiri apud Tartaros in regno Mica, & in regno Gazerat, quod continet regno Indico Malabar, & in regno Basma Java Majoris, frequentissimum verò esse in regno Lambri ejusdem Insulae, l. 3. c. 15. Idem testatur *Ludovicus Barthema*, qui orientalem Indiam omnem lustravit in *Itin.* c. 17. aliiq;, quos citat *Schorrus* l. c.

§. 38. Sed hæc de Monocerotè impræsentiarum dicta sufficiant. Neq; enim plenè de hoc animali historiam contexere propositum fuit, sed ejus velut lineamenta quædam & vestigia ostendere. Quæ ut benevolè, B. L. interpretetur, obnixè rogamus.

DEO autem pro concessis viribus sit laus, honor

& Gloria! FINIS.